



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

1. Dies Augusti. Mortalium vita conteritur, die diei succedente, Solisque
cursibus; nunc accendentibus, nunc recendentibus. Gregorius Thaumaturgus
in Eccles. c.1.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

I. DIES AUGUSTI.

Mortalium vita conteritur, die diei succedente, Solisque cursibus; nunc accedentibus, nunc tecedentibus. *Gregorius Thaumaturgus in Ecclesiastico I.*

Tempore I.
recte utendum.

Est homo pietate vacuus, atque adeò perditus: cui vacat tempus perdere. Ecce modò cœli metator Sol delapluis est ad mensum Augustum, cave ne hoc tempus tibi reddas male utendo angustum. Ut hujus, quem auspicatus es, mensis tempore, utaris cum fænore, Æternitate tibi propone, quæ omnia complectitur tempora. Æternitas, quolibet puncto temporis possider omnia tempora, illisque omnibus adest, quæ vel jam peperit, vel potest parere infinita annorum successio. Est igitur Æternitas momentum stabile, permanens, & fixum, quo tanquam alveo sic fluunt omnia, ut nunquam effluant, sed fugientibus per se se ubique perpetuò adsit. Contra, Tempus, punctum volatile, & si substitetur, peritum secum urget, rapitque in continuatum interitum universa. Et sicut diei immensitas spatia infinita in atomum colligit, sic ejus æternitas innumera sæcula puncto in dividuo comprehendit. Hinc verò fit consequens, ut quibus malis Æternitas, boni ve accedit, iis addat incrementa duo, quæ nullam habent comparationem. Primum quiddem, diuturnitatem nunquam moritaram, quæ si bonis accedat levibus, ea inæstimabili pretio supra quodvis excellentissimum, sed caducum bonum at tollit. Nam si dies una, in atriis Domini millibus

dies

Augustus.

Tessera.

595

dierum vitæ hujus anteponenda est, quid anni⁹? quid anni? quid sexcenti⁹? ævumque infinitum, num infinito pretio censendum?

II. Quis verò sapiens, si detur optio, non malit Martyrum omnium cruciatus, omnium probra, & supplicia reorum centenis decies annorum millibus perpeti, quandoque tandem absolvendis, quam dentis unius acutum dolorem, nullis sæculis mitigandum? ut potè, quem facit æterna longinquitas intolerabilem. Nos igitur, stulte improvidos, qui cruciatus inferorum æternos, levibus his nostris, dum vivimus, per pessimum non antevertimus, nec tremur toto sempiterni incendii furore, dum temporarias molestias nimirum vitamus, quibus æterna redimere possemus. Sic tamen res habet; ut boni cuiusvis, esto domunculæ unius, æterna possessio benè ematur toto omnium bonorum pretio, quæ cum tempore labuntur. Una certè in cælis oculi, aut sensus alterius voluptas, licet sola, sed tamen perpetua, bonis omnibus caducis præponderat. Alterum, quod rebus de æternitate advenit incrementum; ex perceptione oritur præsentis doloris, aut jucunditatis in perpetuum futuræ. Totum enim commodum, quod potest res aliqua infinito tempore afferre, in unum æternitas colligit, & simul percipi facit. Ut si tota voluptas, quæ potest ex lautissimo innumerabilium annorum convivio in unum colligatur; futura est infinitè major, ac melior: sic pœnas illas immortales, et si brevi tantum parte sui existant; totas tamen simul statuit animos præsentes æternitas, illique ex iis infinitum quendam inurit perpetuò dol-

Pp 2

dolo-

dolorem. Configat hoc utinam salutari nos metu duplex telum ; tormentorum infinitas , & infinitatis collectæ acerbitas , quæ illic damnatos, incompara- bili cruciatu in momenta singula transfigunt.

III. Addo & tertium , ex Æternitate , rebus adveniens incrementum ; ut non præsentes solum , aut futuræ ; sed præteritæ quoque , tum Beatos in cœlo , tum in orco fontes afficiunt ; utque illos anteacta vita mirabiliter pascit , ac recreat ; & gestis olim virtutibus suavissimè oblectat : sic istorum dolorem , patratorum imagines scelerum , & veterum voluptatum oberrantia simulachra , diritate incredibili cumulant : lætitiarum verò labilium , quantulacunque est stilla prætens , quam unam lambimus , futuri timore , & præteriti experientiâ vel amarescit , vel desipit . Cùm igitur constet , sempiterna esse omni modo caducis meliora ; spretis his , generoso fastu ad illa fortiter contendamus ; & adhuc in terris positi , Æternitatem , imitando , promerendó que præcerpamus . Nam , ut suaviter Bernardus , (a) Paupertate , mansuetudine , & fletu renovatur in anima similitudo quadam , & imago Æternitatis , omnia tempora complectens ; dum paupertate , futura meretur ; mansuetudine , sibi præsentia vendicat ; luctu pænitentia , præterita quoque recuperat . Dulce est æterno , & immenso Bono , nostri hujus ævi nihilum mutare . Optabile hiantibus in altum inferorum cavernis , sua sursum cœlo gaudia ostentante , obiter aliquid perfere : ut hæc emas , illas redimas . Quid denique optabilius , quam æterna peccati damna mœrore modico sarcire ; & quod

(a) Serm. I. in festo Omníum Sanct.

Augustus.

Tessera.

597

quod esse per se nequit infectum, efficere, quasi
nunquam sit factum. Hæc facis modico fletu. Ita-
que

Fle pro peccatis; in cælum scandere si vis.

2. DIES AUGUSTI.

Beatus, qui amat te; & amicum, in te; & inimicum,
propter te. S. August. l. 2, Confess. c. 9.

Inimici
diligendi:
injuriæ
remitten-
dæ.

Habet Charitas angustum si-
num, non tantum, quod est
etiam Ethnicorum, ad ami-
cos; sed quod Christianorum,
ad inimicos sese explicat, adeoque omnes suo am-
plexu implicat. Quisquis eâ pollet, injurias non mo-
dò lubens admittit, sed gaudens remittit. Non ne-
scius maximum esse supplicium injuriæ illatæ, intu-
lisce: adeoque gravius esse, injuriam facere, quam
accipere. Inimicos diligere, iisque injurias remitte-
re, non tantum decet, sed oportet: quia Deus illud
non tantum ut amicus consulit, sed ut Dominus
præcipit: Christus illud non modò suadet, sed jubet.
Quid, inquires? egóne illum onerabo beneficiis, qui
tot me infectatus est maleficiis? Ipse mihi atrocem
intulit injuriam, & ego referam illi gratiam? Egóne
pro illo piè precabor, qui mala mihi omnia impreca-
tur? Is odio mei rabidus, ubique me persequitur, &
ego amore illum prosequar? Non potest fieri: re-
pugnat naturæ, pugnat contra rationem, excedit
hominis vires. Itane verò? ergóne illa tibi censetur
prudentia, malle se perdere, quam inimico parcere?
præstare potius esse malum, quam pati mala? satiùs

Pp 3

esse,